35   34   70

R. D. D. MARTINI CARRILLO ABBATIS MONTIS ARAGONVM. Dicæologia.

CONTRA CANONICOS REGVLARES eiusdem Domus Exemptionem prætendentes.

CLericorum ordo, qui nunc Regulares Canonici dicuntur, à santissimis Apostolis siue ab illorum immediatè discipulis, fuit verè & propriè & immediatè institutus: nam cum in primitiua Ecclesia fideles omnes cōmunem vitam ducerent, prout in Actibus Apostolorum cap. 4. legitur, fuerunt omnes Christiani in duas classes diuisi, Clericorum vnam, Laicorum alteram, deinde Apostoli per totum orbem dispersi, & tyranorum, & persecutorum in eos seuientium metu, vni ab alijs segregati, communem vitam seruare liberè nullatenus permittebatur: sic refrigescente paulatim inter fideles primęuo illo vitę communis proposito, Sanctissimus Præsul Sacri Ordinis Apostolici Clericorum Canonicorum Pater, Inclytus Patriarcha, Firmamentum & Catholicæ Ecclesię Doctor, Hęreticorum Maleus, D. PATER NOSTER AVGVSTINVS, vitam Regularem Apostolicam Clericorum reparauit, reformauit, ac in pristinum Apostolorum statum Clericorum vitam reduxit. Et quia ex hoc Sanctissimo Præsule reformationem adeo insignem ordo noster accepit, & in Ecclesia Catholica tàm alte suas radices defixit, tàm late, ac longe suos palmites distendit, tàm exhimios, & copiosos omnimodè virtutis, probitatis, ac doctrinę fructus retulit, vt exinde Canonicorum Regularium instaurator, & autor iure sit ab omnibus per Antonomasiam solus nuncupatus. Probat hoc, & lata manu prosequitur Posidonius Episcopus Clamensis Sancti Augustini discipulus, in vita ipsius Augustini cap. 5. Vincentius in Speculo histor. lib. 26. cap. 51. S. Antonin. 2. p. historiæ tit. 9. cap. 8. §. 2. & 3. Noster Ioannes Trullo, de Ordine Canonicorum regul. lib. 1. c. 2. cum sequentibus. Doctor Cenedo in collect. ad Decretales collect. 165. num. 1. & in

Quæſtionibus Regul. q.20. Azor in ſum. lib. 12. cap. 22. nouiſsimè omnium Gabriel Pennotus Abbas Sancti Iuliani apud Spoletum in ſuo nouiter ædito volumine, & Hiſtoria Sacri Ordinis Clericorum Regularium lib. 2. cap. 1. vſque ad 30.

Hinc laudes illę B. Auguſtino, in illius officio, in quibuſdam antiquis Breuiarijs decantatę. *Factus ergo præsbyter Monaſterium Clericorum mox inſtituit, & cæpit viuere ſecundum regulam ſub Sanctis Apoſtolis inſtitutam,* & in Hymno qui incipit.

Magne Pater Auguſtine
Tu de vita clericorum ſanctam ſcribis regulam;
Quam qui amant, & ſequuntur, vitam tenent Regiam:
Atque tuo ſancto ductu redeunt ad patriam.

Et in ſequentia, quæ dicebatur olim in Miſſa

Regularis vitæ normam conquadrauit iuxta formam
Cætus Apoſtolici.
Sui quippe nil habent ſuum, ſed viuebant,
In commune Clerici.

Ex quibus cōſtat quā antiqua, & inter cæteras religiones pręcipua ſit canonicorū regularium dignitas, ita vt nomine fratrū regulariū nō comprehendātur Canonici Regulares: quod ad reuocationē pręſentis firmę maximè pōderandū eſt, vt exequentibus patebit, nā Canonici Regulares propriè clerici dicūtur. Teſtes ſunt Clemens I. in epiſtola 5. ad Iacobū fratrē Dñi. Vrbanus I. in epiſtola ad omnes Chriſti fideles, quę referuntur in cap. Dilectiſsimis, & cap. Scimus 12. q. 1. Concil. Aquiſgrani ſub Ludouico pio celebratum cap. 118. & 120. necnon Innocentius III. in epiſtola ad Priorem, & Clericos S. Petri apud Spoletum in primo libro epiſtolarum huius Pontificis pag. 283. iunctis, quę legi poſſunt apud Gratianum in ſuo Decreto cauſa 12. q. 1. per totam, & in cap. Legi Epiſtolam, cap. Decimas 16. q. 1. cap. Quidam Monachorum 18. q. 2. ac etiam in Decretalibus ſub titulo De vita, & honeſtate Clericorum, ſub quo tàm Regulares quàm Seculares Clerici, ex omnium Doctorum conſenſu comprehenduntur: & ex vi Regularis profeſsionis non Clerici ſimpliciter, ſed Canonici Regulares ſunt nominati. Et apud Italos, Germanos, & in aliquibus Hiſpanię partibus, conſuetudo obtinuit, vt Canonici Regulares vocentur, hoc prænomine Domnorum (à voce Hebrea, Don quę Latine Iudicem ſeu Dominatorem, & Dominum ſignificat) V. G. Domnus Petrus, Domnus Martinus, non quidem ſuperbie tumore, vel quod à ſuauiſ-

ſimo,

ſimo fratrum nomine, & charitatis pleno, quo ſe ipſos antea compellare conſueuerant, abhorrerent: ſed propter eminentiam, Ordinis & Dignitatis Canonicalis, & Clericalis, quę per ſe illis competit, ex vi Regularis profeſsionis, eſt enim mos antiquiſsimus Eccleſiæ, vt colligitur ex hiſtoria inuentionis Reliquiarum S. Stephani, D. Gregor. lib. 1. Regiſtri Epiſtola 6. & lib. 7. Epiſtola 127. notat Guilielmus Durandus in Rationali diuinorum officiorum lib. 5. cap. 2. num. 44. Ioannes Molanus lib. 3. de Canonicis cap. 15. nam & Protomartir Stephanus, in pręcitata hiſtoria ſuæ inuentionis vocatur Dominus Stephanus, qui fuit Canonicus Regularis, & ſic merito Canonici Regulares, in quibus Clericorum Apoſtolicorũ inſtitutum ſeruatur, hoc pręnomine Domnorum vocari poſſunt, vt tenet Abbas Pennotus, lib. 2. cap. 1. §. 10.

Hæc igitur Sacra Regularis Obſeruantia Canonicorum Sancti Patris noſtri Auguſtini, maximè floret, ac nitet, in præpoſiti ſeu Abbatis nimirum plena & omnimoda obedientia, vt ex eiuſdem noſtri Patris regula 14. & 23. apparet; votũ enim obediẽtiæ, quod Canonici in manibus ſui Abbatis emittunt, inter tria Religionis vota primum locum obtinet.; eſt enim Votum obedientiæ Religionis eſſentialius, *ex D. T. 2. 2. q. 186. artic. 5. & 8. Non pertinet* (inquit) *ad ſtatum Religionis voluntariam paupertatem, & continentiam ſeruare, abſque obedientiæ voto*; Canonici Regulares D. Auguſtini tria eſſentialia emittere vota probat eleganter contra Eraſmum Ricardus Cenomanus Theologus Pariſienſis, in lib. de hac re edito, cui titulus eſt, *Antidotus contra Eraſmi cenſuram in regulam B. Auguſtini*, refert hoc idem, & probat Gabriel Pennotus Abbas Sãcti Iuliani apud ſpoletum, in ſuo nouiter edito volumine, & hiſtoria ſacri Ordinis Clericorum Regularium, *lib. 1. cap.* 17. noſter Ioannes Trullo de Ordine Canonicorum Regularium, *lib.* 1. *cap.* 18. cui titulus *De maximo obedientiæ voto, Azor in ſumma, lib.* 12. *cap.* 22. *tom.* 1. Vnde Canonici Montis Aragonum exemptionem prætendentes verè à D. Auguſtini Regula, & â regularium inſtituto recedere ſatis notum eſt, & eo maximè cum ratione huius exemptionis, ad ſeculares Tribunales recurſum habuerint, contra noſtri Ordinis, & Romanorum Pontificum decreta, cenſuras Eccleſiaſticas non verentes; præſertim cum nos nullam exemptionis cauſam præbuerimus, quinimo non vt ſubditos, ſed vt intimos amicos, & fratres corde, animo ac operibus tractauerimus.

Sed ad Iuris rigorem, & iuſtitiam procedentes, hanc propoſitionem, vt veram, & indubitatam probauimus videlicet.

ABbas Montis Aragonum Iuriſdictionem Plenariam, & Omnimodam habet in ſuos Canonicos Regulares.

Probatur ex ſequentibus. Secundum D. Auguſtini Regulam Canonici Regulares, in omnibus, & per omnia ſubduntur Præpoſito ſeu Abbati, *conſtat ex cap. 23. tit. de Obedientia. Præpoſito tanquam patri obediatur*: habetq; Abbas in Canonicos tã latam, & amplam iuriſdictionem, vt poſsit eos à Religione expellere, *in cap. 14.* eiuſdem regulæ, ſic loquitur ſanctus; *Cõuictus vero ſecundum Præpoſiti, vel Præsbyteri, ad cuius diſpenſationem pertinet arbitrium, debet emendatoriam ſubire vindictam, quam ſi ferre recuſauerit, etiam ſi ipſe non abſceſſerit, de veſtra ſocietate proijciatur; non enim hoc fit crudelius, ſed miſericorditer: ne contagione peſtifera plurimos perdat.* Hoc idem de iure communi ſtatutum reperitur, *in cap. Cum in Eccleſ. 10. de maiorit. & obedien.* & quia Rubrum totam Deciſsionem breuiter comprehendit illud referam. *Canonici Regulares inobedientes Priori ſuo, per ipſum excommunicari poſſunt, & ſi fuerint incorregibiles de fratrum conſortio expelli debent*; communiter hoc idem *Pr̃. ex cap. Abbates §. Monachi. 18. q. 2. capit. Corripiantur 24. q. 3. capit. Quanto extra de offi. ordin. gloſ. in capit. De perſona verſi. Monachum 11. quæſt. 1.*

Et ſicut Ordinarius in Eccleſijs ſuis habet plenariam iuriſdictionẽ in prima inſtantia iuxta deciſsionem *Concilij Trident. Seſ. 24. cap. 20. de reforma.* ſic Abbas in ſuo monaſterio habet ordinariam iuriſdictionem; *probat. Aretinus conſ. 99. Cardin. Tuſcus, concluſ. 11. lit. A.* & ita poterit inquirire ſuper delictis per Canonicos commiſsis, excommunicare, & eos punire, quia habet ordinariam iuriſdictionem, *Calder. conſ. 20. de regul. Egidij Belam. conſ. 5. num. 2. vbi late hoc proſequitur, Martinus de Salma, ibidem num. 17. Roman. conſ. 375.* Gullle. Germodi, qui fuit Vrbanus V. relatus, *in conſ. Belam. multis probat. & cõmendat Cardin. Tuſ. concluſ. 7. num. 8. & 15.* & præcipue Abbas Montis Aragonum plenam, & omnimodam iuriſdictionem habet in ſuos Canonicos, tam ex immemoriali conſuetudine, quam ex Priuilegio particulari, & ſpeciali: conſuetudo enim immemorialis eſt, vt Abbates à principio huius domus habuerint ſemper ordinariam, & omnimodã iuriſdictionẽ, nullumq; in contrarium extat exemplum, nec memoria aliqua. In abſentia tamen Abbatum, & quando erant ſeculares iuriſdictio remanebat pœnes Priorem Clauſtri, qui præſente Abbate nullam habebat iuriſdictionem: hoc manifeſtè conſtat ex Cartuarijs & lib. qui dicitur

Lumen

Lumẽ domus. Ex Priuilegio autem Apoſtolico, & ex Bulla nouæ erectionis, & aplicationis SS. D. N. Pij V. de anno 1571. quę cum alijs iuribus ad Abbatem pertinentibus fuit iterum confirmata, & declarata ex commiſsione SS. D. N. Pauli V. ad ſupplicationem, & inſtantiam Sereniſsimi D. D. Philipi Regis noſtri, anno 1607. cum particulari clauſula tenoris ſequentis: *Ipſumq; Dominum Abbatem quominus omnimoda iuriſdictione, tàm in ſpiritualibus, quàm in tẽporalibus, in territorio ſeu diſtrictu ſui Abbatiatus Synodum conuocando, Parochiales Eccleſias, & beneficia occurrente vacatione in ſuis menſibus prouidendo, ac alia faciendo, & exercendo, quæ ad habentem territorium & diſtrictum, ac in eodem omnimodam iuriſdictionem ſpiritualem & temporalem ſpectant, & pertinent, pacificè, & quietè omni ceßante moleſtia & impedimento, vti, frui, gaudere, ac potiri libere poſsit, & valeat.*

Et tandem quando authoritate Apoſtolica, & Regia fuimus in Abbatem prouiſi anno 1615. idem SS. Paulus V. in Bulla noſtris Canonicis directa, præcipit illis, vt nos in Abbatem & ſuperiorem admitterent huiuſmodi verbis, *Ipſumq; illi in Abbatem præfecimus, curam, & adminiſtrationem eiuſdem Monaſterij in ſpiritualibus, & tẽporalibus plenariè committendo, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur. Quo circa diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eidem Martino futuro Abbati, ac Patri, & Paſtori animarum veſtrarum humiliter intendentes, ac exhibentes ſibi obedientiam, & reuerentiam debitam & deuotam, eius ſalubria monita, & mandata ſuſcipiatis humiliter, & efficaciter adimplere curetis.* Ex quibus omnibus conſtat Abbatem Montis Aragonum iure communi, conſuetudine immemoriali, & particulari priuilegio, iuriſdictionem plenariam in ſuos Canonicos habuiſſe, & habere.

Neq; huic reſolutioni obſtat Bulla Vrbani II. in ſecundo ſui Põtificatus anno, ex qua pretẽdunt Canonici exẽptos fore, & eſſe, à Iuriſdictione Abbatis per illa verba, *Conſtituimus enim, & Apoſtolica authoritate decernimus, vt ab omniũ omnino hominum cuiuſcunq; ſit ordinis iugo liberi maneatis ſoliq; Sanctæ & Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ ſubditi, tranquile, & quieti Domino omnipotenti ſeruiatis*, nam licet ſupradicta Bulla plures patiatur defectus, quos ſupra Aduocati, coram Illuſ. DD. Locumtenentibus Iuſtitiæ Aragonũ, in mediũ protulerũt, hoc iterũ põderandũ eſt, frates Regulares, in prædicta Bulla nominatos nõ fuiſſe, nec eſſe Canonicos Sancti Auguſtini, nam anno M. LXXXIX. non erant Canonici Regulares in monaſterio Ieſus Nazareni, Montis Aragonum ſed alij Religioſi, vt ęx hiſtoria fundationis eiuſdem domus ab vno ex Canonicis

nicis firmantibus edita fol. 11. cōstat, cum vertat in dubium, an à principio fundationis dicto videlicet anno fuerint Canonici, an alij regulares? vt ex eisdem verbis aparet: *aunque no se sabe si luego al principio de su fundacion fueron Canonigos, o otros Religiosos.* Quod ergo fuerint alij Religiosi, & non Canonici Probatur, ex eiusdem Pontificis decreto, & fundamento exemptionis, dum inquit, *Vrbanus Episcopus seruus seruorum Dei dilectissimis in Christo filijs Regularibus fratibus Ecclesiæ, quæ dicitur Iesus Nazareni, &c.* illa verba (Regularibus fratribus) non extenduntur, nec possunt ad Canonicos Regulares extendi, nā Canonici S. Augustini non nota Religiosorū tantū sed cū addito Canonicorū nominantur, vt supra dictū est. Et causam refert *D. Cenedo in quæstionibus Regularibus, q. 20. n. 5.* dicens, *quod alio referri non potest, quam quod latum sit discrimen inter ipsos, & alios Religiosos*, in Decretalibus enim Bonifacij VIII. *lib. 3. tit. 31.* est titulus *De Regularibus, & transeuntibus ad Religionem*, & quia sub hoc titulo non comprehenduntur Canonici Regulares in eodem *lib. tit. 35.* inquit, *De statu Monachorum, & Canonicorum Regularium.* Est enim magnum, & latum discrimen, inter Religiosos Monachos, & Canonicos Regulares; quod elegantissimè prosequitur noster Ioannes Trullo de Ordine Canonicorum Regularium *lib. 1. c. 7.* & omnium nouissimê dictus Abbas S. Iuliani *lib. 2. cap. 1. per totum.* Hinc reprehendendus est Ludouicus Viues Valentinus insignis Grammaticus *in Com. lib. 3. D. Augu*st*. de Ciuitate Dei c. 15.* qui geminatam istam nomenclaturam Canonicorum Regularium reprehendit dicens. *Idem est Regularis quod Canonicus à Canone Græco; hinc quidam Monachi D. August. ne semel putentur Regulares, bis hoc vocabulo gaudent*: ignorauit enim author iste, Canonici vocabulum esse dignitatis; & Clericum significare. Vnde D. Augustinus Regulam Canonicorum dictans hoc titulo illā illustrauit. *Regula Apostolica Clericorum, siue Canonicorum Regularium, ab Aurelio Augustino Hiponensi Episcopo edita.* Constat ergo Canonicos Regulares Clericos esse, nontamē sub vocabulo Regularium comprehendi. Noster insignis Hispanus, *Didacus Couar. Episcopus Segouien. in Clemen.* (si furiosus) *de Homicidio p. 1. num. 1. in fine*, sic contra Ludouicum viues inuehitur, *Canon* (inquit) *Græcè Latinè regula nuncupatur. Vnde Canonici olim primum hij nuncupati sunt, qui in communi vitam agentes intra domum publicam, aut Ecclesiam Collegium Ecclesiasticum diuini cultus gratia constituebant communem habentes mensam, regulamq; D. Augustini exactissime seruantes. Hic etenim vsus, adhuc in aliquot Ecclesijs sedem habentibus Episcopalem obtinetur. In alijs vero Ec-*

rò Ecclesijs communem vitam omittentes, nomen simplex Canonicorum retinent. Itaq; ideo iure Pontificio, vt ab his priores distinguantur, dicuntur illi Canonici Regulares cap. Quod Dei timorem cap. In singulis §. hoc ipsum de statu Monachorum & Canonicorum Regularium, quo rationis discrimine minimè perpenso Ludouicus vines in adnotationibus, ad D. Augustinum lib. 3. de Ciuit. Dei cap. 15. Canonicos Regulares, nominis ambiciosi acusare videtur, quasi bis, hoc vocari gaudeant nomine, nè non semel putentur Regulares, cum idem Canonici & Regularès significent; sed tamen hac nota omnino liberi existimandi sunt. Nam ius ipsum Pontificium nomina hæc distinctè induxit. Hæc Couarrubias. Et sic constat, nullam committi battologiam in nomenclatura Canonicorum Regularium, cum magnum sit discrimen inter ipsos ac Regulares, vt dictum est. Et sic Pontifex Vrbanus in supradicto indulto nullam de Canonicis Regularibus mentionem fecit; cum verò postea in eadem Domo regularis Obseruantia S. Augustini Canonicorum Regularium vigebat, non eos Religiosos simpliciter, sed Canonicos appellauit, vt patet in Bulla eiusdem, Anno vndecimo sui Pontificatus tenoris sequentis. *Vrbanus Episcopus Seruus Seruorum Dei, dilectissimo filio Eximino Præposito, & cæteris fratribus Canonicis Domini Iesu Nazareni, &c.* Quàm refert idem Canonicus. Et licet sine præiudicio veritatis concedamus Regularium nomine in prędicta Bulla comprehendi Canonicos, non ex eo sequitur exemptos esse à iurisdictione Abbatis seu Præpositi; sed tantum à iurisdictione ordinaria Episcoporum & aliorum iudicum, patet ex illis verbis; *Saluo Episcoporum iure, quod in eis actenus habuerint, consecrationis videlicet Ecclesiarum & Clericorum,* quia cum Abbas Montis Aragonum, non habeat potestatem consecrandi Ecclesias, nec Clericos; ideo Romanus Pontifex noluit Episcopos hoc iure priuare; sed potestate ordinaria excommunicandi, &c. constat etiam ex illis verbis. *Porro nulli Episcopo liceat eiusdem Ecclesiæ fratres, quos in Romanæ Ecclesiæ filios spetiali deuotione suscipimus excōmunicare, aut diuinum eis officium interdicere,* Tũ deniq; confirmatur ex eisdẽ verbis Bullę, ibi. *Obeunte eiusdem loci Abbate siue Præposito, nullus ibi subreptione aliqua præponatur, nisi quæm fratres communi consensu, vel fratrum pars seniore cōsilio regulariter cum Dei timore sibi praeesse prouiderint.* Ponderãda sunt verba illa, *præponatur*, & illa, *sibi praeesse prouiderint*, nam (præponere) (& præesse) iurisdictionem, & superioritatem denotãt, l. Qui iurisdictioni 10. ff. de Iuris omnium iudicum, cap. quamuis de verbo. sig. cap. Saluator. 8. § nomine 1. q. 3. & in nostra regula D. Augustini, nomen Præponatur, Præpositi, Pręsidentis, semper superiorem te-

gularium

gularium significat, vt in cap. 4. 13. 14. 15. 21. 23. 24. 25. Vnde ex eadem Bulla Abbas, seu Præpositus superioritatem iurisdictionem, & Prælationem in Canonicos, seu fratres Religiosos habet. Ex quibus, & alijs à doctissimis aduocatis ponderata, reuocanda est præsens iurisfirma, cùm sic de iure procedat. Salua, &c. Die 23. Mensis Aug. An. 1626.

Reuocose la firma de los Canonigos de Monte Arag.
Por las causas en dichas Allegaciones contenidas a 19 de d...
Año 1626.